

I.d.21.  
4343



XI. 5. 20 b

*Sig*

PA

Sigismundus I. Poloniarum Rex

Pocz 1345.

Cm. I. d. 21.

Janicii Clementis: Epitaphii Severissi-  
mo Regi Polon. Sigismunde Augusto  
— scriptis, editio posthuma.

Crac. ap. Viduam Floriani. 1593.


PANEG. et VITAE

Polon. 4<sup>o</sup>

Æ. 844.

7 1 21

4343



Small dark spot or stain near the top left corner.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly a title or header.

Faint, illegible text below the top header.

Faint, illegible text below the second line.

Faint, illegible text below the third line.

Faint, illegible text below the fourth line.

Faint, illegible text below the fifth line.

Faint, illegible text below the sixth line.

Faint, illegible text below the seventh line.

Faint, illegible text below the eighth line.

Faint, illegible text below the ninth line.

Faint, illegible text below the tenth line.

Faint, illegible text below the eleventh line.

Faint, illegible text below the twelfth line.

Faint, illegible text below the thirteenth line.

Faint, illegible text below the fourteenth line.

Faint, illegible text below the fifteenth line.

Faint, illegible text below the sixteenth line.

Faint, illegible text below the seventeenth line.

Faint, illegible text below the eighteenth line.

Faint, illegible text below the nineteenth line.

Faint, illegible text below the twentieth line.


Faint, illegible text below the twenty-first line.

Faint, illegible text below the twenty-second line.

Faint, illegible text below the twenty-third line.

Faint, illegible text below the twenty-fourth line.

Faint, illegible text below the twenty-fifth line.



☞ EPITALAMII

SERENISSIMO REGI POLONIÆ

DOMINO SIGISMUNDO AVGVSTO A CLEMENTE

Ianicio, poeta laureato, uita iam functo,

scripti, æditio posthuma:.



TETRASTICHON IN AQVILAM  
REGIVM INSIGNE.

*Armigeram volucrem spectas rectoris olympi?*

*Hæc fugat aduersos, congregat atq; suos.*

*Multa virum volitans dat fortia corpora lato;*

*Hæc miles trepidans, hæc duce tutus erit.*



REVERENDIS-  
SIMO IN CHRISTO PATRI ET  
DOMINO DOMINO SAMVELI

DEI GRATIA EPISCOPO PLOCENSI

Regni Poloniae procancellario, Domino suo clementis-

simo Ioannes Antoninus & Augustinus Rotun-

dus plu. S. D. & perpetuam

servitutem suam commendant.

**C**um lucubratiões Clementis Ianicij perlustraremus, quarum nos heredes testa-  
mēto, quod eas solas opes haberet, reliquit, incidimus in elegias duas, quas ille epitha-  
lamiorum in Augusto hoc augusti regis connubio vicem obtinere uoluit: que quam-  
uis utræq; alio argumento, quam de nuptiarum solemnitate explicada, scriptæ appa-  
reant: nec ex illa inueniendi ratione usitata constant, qua uel Cupidinem, uel Venerē,  
uel aliū deū deamue nuptias procurare inducunt poeta: uel prolixè pompas, festa  
ludos, solemnitates, ac omnem rem gestam, nuptiarumq; apparatus describunt, tamē  
fecisse hoc alios ueteres poetas legimus, ut soleant ab argumento instituto in aliud nō  
sine uenusta digressione delabi: & ad institutum deinde, ubi expatiati essent, reuer-  
ti. Et nos certo scimus Ianicium nostrum, quod se moriturum intelligeret, prius quam  
nuptias istas oculis uideret, nam et presagās præsciasq; mentes poetarum esse refe-  
runt, et ita ille uires tum fatigatas et fractas diuturno morbo habebat, cum ad scri-  
bendum nuptiale hoc carmen animum appulisset, ut omnino sibi cito esse moriendum  
præuideret: pompam, solemnitatem, & rem gestam quæ non erat uisurus consulto  
omississe, uerū id quod futurum sperabat amplissimum, amplificandum & exau-  
gendum sumpsisse. Sciebat enim serenissimum dominum regem seniore ex charissi-  
mi sui filij nuptijs, ex charissimæ nurus conspectu, quam illi, & alia omnia corporis  
animiq; dona, & sanguinis propinqua coniunctio, nepotumq; ex illa suscipiendorum  
expectatio commendaret, ingens gaudium ingentēq; uoluptatē percepturū: hoc gau-  
dium, hanc voluptatem ille, est carmine prosecutus, & ad reliquas fœlicitates in quib-  
us perstringendis elegia prima consumitur, hanc fœlicitatem ex nuptijs filij conce-  
ptā annumerauit. Sciebat nihil serenissimo filio suo statutum magis esse, q̄ ut serenis-  
simi parentis uestigijs ad eadē fœlicitates, quibus imbutū parētem senectam iucū-  
dam transigere uidet, peruenire queat: ad quā imitatiōem dum illū in altera elegia hor-  
tatur, ab argumento nuptiali discedere maluit, q̄ ea quæ non uidisset, ante tempus  
tractaret

tractaret, præsertim cū licere sibi id facere arbitraretur. Dignas itaq; putauimus, quæ  
temporis huius celebritatem, serenissimorumq; principū nostrorum memoriam, im-  
mortalitati consecrarent: (non enim dubium est, Ianicij nostri poemata immortalia fu-  
tura). Tibi autem illas Amplissime presul, mortuo authore, dicādas statuimus, et q; es  
utriusq; nostrum communis patronus, et q; meminimus te præ ceteris omnibus à Iani-  
cio religiosissime obseruatum & cultum fuisse: cuius rei testimonio sunt libri duo tri-  
stium, quos sub auspicio tuo in lucem edidit, et elegia ad te scripta: ut omnino sit no-  
bis certum persuasumq; illum, si uixisset, non alio præter te patrono in hac lucubra-  
tione edenda usurum fuisse: Quin & illud accedit, quod unus nobis exstare inter  
multos uideris, qui ingenia bona & doctorum monumenta ames, & chara apud te  
habeas: ut hoc ingenij illius uberrimi pignus merito charissimum & iucundissimum  
apud te sis habiturus: magno quippe hæc illius lucubratio constat: nam in grauissimo  
suo morbo, ita ei intentus erat, ut prope modum pro confesso sit, mor-  
tem eum sibi, q; ualetudini nō parceret, accelerasse. Optamus ut  
Deus te tuis nobisq; omnibus diu seruet incolumem.



AD SIGISMVN-  
DVM PRIMVM POLONO-  
RVM REGEM



Iue senex, o diue senex Rex optime Regū,  
Quos hodie vasti circulus orbis habet,  
Nunc cape foelicis solatia magna senectē,  
Hoc animi rugas tempore solue tui,  
Illa dies uenit, tacita quam sepe petebas  
Diuos, & tecum nos tua turba, prece,  
Augusti sacratus hymen, hymeneus amoris  
Numen, in it dextro regna Polona pede,  
Est quod agas superis grates hoc nomine, quū  
Nominibus multis nō minus est quod agas,  
In te magna sui statuere exempla fauoris,  
Vix isto qui te vincere possit habes,  
Non multis tribuere hominum, tribuere quod yni,  
Prisca licet repetas tempora mente, tibi,  
Et quia leticie lux hec est sacra, nouisq;  
Cantibus, in turba letus & ipse canam.  
Dona canam a superis in te congesta: sed istud  
Dum facio, uultu, pectore, fronte, faue.  
Non ut adulator de te cantabo: putamus  
Debere a Musis hoc scelus esse procul:  
Sed memorare libet Diuum benefacta, Polonis  
Quæ per te fundunt accumulantiq; tuis.  
Prima venit numerumq; petit sapientia, qua te  
Sic superum illustrat, dicit, obarmat, amor,

Vt si nil aliud missum tibi coelitus esset  
Muneris, ó quantum muneris vna foret.  
Vna trahit secum quicquid quantumque bonorum est,  
Vna satis ducibus, regibus vna satis.  
Viderat id Salomon, cui cum nimis ampla daretur  
Optio, quae vellet poscere dona deum,  
Sit mihi semper, ait, praesens sapientia, per quam  
Iusticiae rectum currere detur iter.  
Quod petijt, tenuit: tenuit quoque cetera, quaeuis  
Non petijt, votum sponte secuta suum.  
Victor in hoste fuit uario, ditissimus idem,  
Clarus in extremi finibus usque noti.  
Subiectis charus populis: vicinia & vrbes  
Hunc stupuere, aliquem non secus atque deum.  
Hoc dabat illa sibi quam acceperat: hoc dat  
Et tibi: dat paribus teque vigere bonis.  
Victor in hoste venis uario: delubra tropheis  
Quod satis ostendunt nostra referta tuis,  
Te toties sensere Getae, totiesque quid esset  
Praedari damnis edidicere suis.  
Ossa Lopusneum Visnouiciumque per agrum  
Et Clecium faciunt hanc mihi sparsa fidem,  
Sensere & Valachi, quorum, quem uidit in alta  
Nester aqua testis sanguinis esse potest.  
Testis Obertinus grauior nouitate, quod eius  
Gentis adhuc tinctum sanguine gramen habet,  
Hic tibi, lux patrie, vicit Tarnouius, idem  
Maxima Gradiui gloria, magna toge.  
Ausus

Aufus in inumeras inducere signa phalanges  
Paucula, & inuicta spem superare manu,  
Vt documenta daret ducibus, uirtute virorum  
Quam numero melius maxima bella geri.  
Hec eadem quauis & tu documenta dedisti,  
Cum Basili magnas uis tua fregit opes:  
Hic erat (ut discat ueniens de carmine nostro  
Posteritas, olim si mea scripta leget)  
Moscorum, quam lata patet gens illa, tyrānus;  
Militis, dubium, clarior anne domi,  
Regnandi cupidus Lituana per arua per vrbes,  
Et fieri gemini rex dominusq; soli.  
Spem dabat hęc, odio in patriā stimulatē, Michael  
Transfuga, & ad tantum sollicitabat opus.  
Ergo suos capere arma iubet, cepere frequentes  
Arma: suum sequitur gens numerosa ducem,  
Ducit & ad quasdam Lituani nominis arces  
Pergit, in ingentem cuncta trahitq; metum;  
Iamq; Borysthenias sua castra locarat ad undas;  
Occurisse sibi cum tua castra uidet.  
Flumen erat medium: subito conligere per quod  
Non datur, & pronos Phebus agebat equos.  
Nox ruit, inuoluitq; diem, per cuncta quietem  
Diffundit placidam compita, rura, domos,  
Sed non per nostros equites: n̄ nanq; natatu  
Trañciunt medias tempore noctis aquas.  
Hoc faciunt pedites, quali tum pontē dabatur  
Sublica lēborum plurima functa uicē est.  
Scisse putant

Scisse putant hostem, sed non curasse tueri  
Ripam : Sic paruam tempserat ille manum,  
Vt simul ac foret orta dies, captiua flagellis  
Agmina nostra ageret sic sine cede domum.  
Haud aliter q̄ cū pastor sub ouilia lento  
Vimine morigeras pergere cogit oues.  
Non ita coclitibus uisum est, odere superbos,  
Quod tibi res illo est testificata loco.  
Nam simul atq̄ dies foelici effulsit ab ortu  
(Natalis Marię virginis ille fuit.)  
Signa canunt, coeunt acies, fugit hostis, aceruis  
Cęsorum premitur, sanguine stagnat humus.  
Quid memorē captos, p̄ceres, quid signa, Ducesq̄  
Coniectos seruas in sua uincla manus ?  
Fama uolat facti terram uulgata per omnem,  
Quę magnū Europe nomine nomen habet.  
Tunc etiam Decimum fautori egisse Leonem  
Roma refert grates per sua templa Deo,  
Collibus in septem letos repetisse triumphos,  
Et festos aliquot continuasse dies.  
Hoc fecere alij Reges, Christi arma professi,  
(Conflictus tantī nominis ille fuit.)  
Quem dum nequicōq̄ ulcisci gens uicta laborat,  
Illustrat titulos congeminatq̄ tuos.  
Auspice te siquidem, quod septima cōputat ęstas,  
Stelligeri gladio tot periere ducis  
Millia Moscorum, ut dubium res uera putetur,  
Cum Starodubeas cepit & ussit opes.

De Prussia

De Prussis taceo, Princeps intūcte, subactis,  
De nigre imperio pretereoque Crucis.  
Nil Alberte tua de conditione loquemur,  
Carminibus ledi ne uideare meis.  
Hoc tibi gratabor tantū quid auunculus idē est  
Qui uictor, terre qui dominusq; tue.  
Fœlices, isto quos sub uictore locauit  
Bellona, illius ferre deditq; iugum:  
Qui uictis pacem indulget, quam propter & unam  
Arma mouet, quoties scilicet arma mouet.  
Hanc gladio solamq; petit, solamq; tuetur,  
Hanc propter solam plurima bella mouet.  
Ecce silent Mosci, Valachi, Turceq; Geteq;  
Tot bellis pax est parta Polone tibi.  
Pax tua rura colit, pax letis errat in agris,  
Diues securum flore reuincta caput,  
Queq; latrocinij loca quōdam infesta fuerunt,  
Ire iubet tutis mercibus, ire rotis,  
Sic opibus patriam mirandis ditat, & infert  
Nostro fortune munera cuncta solo.  
Qua iam parte boni nullis concedere terris,  
Gentibus & nullis, Vandalis ora potest.  
Quod licet omni alio mirari tempore detur,  
Hoc tñ inprimis tempore cuiq; datur,  
Cum celebrāt, Rex magne tui cōnubia nati  
Et proceres, et plebs, et simul omnis eques,  
Omnia collucent auro, fulgore metalli,  
In subiectam oculi deſcenduntur humum,

B Multus onyx

Multus onix radiat, radiant per cuncta pyropi,  
Quicquid timet chalybis uulnera nulla lapis,  
Totum amethystorum berillorumque uidetur  
Ignibus incendi nox quoque posse mihi.  
Nec saltem splendetque uiri splendetque puellae  
Undique, sed fulgent esseda, fulget equus.  
Diuitibus ingens, quamuis ingentior armis.  
Ille erat, allatum cui diadema Duci est,  
(Non auditus honos) allatum Cesare ab ipso,  
(Iste nepos primi Caesar Otonis erat.)  
Diuitibus ingens Casimirus: & ille merenti  
Patria cui Magni nomen habere dedit,  
Sed populus sub utroque fuit paucosus, & unus  
Orbe alio uertas fiscus habebat opes.  
Nunc passim in uulgo uideas, quae tempore primo  
Non nisi magnorum dona fuere ducum,  
Nec loquor id, quod opes in summa laude locari  
Posse putem, summis equipareque bonis,  
Ferro non auro nomen quaesiuimus, aurum  
Hoc ipsum ferri nunc retinemus ope:  
Sed quia commemoro quae Diis dant munera nobis  
Per te, rebar & hac parte sileri nefas.  
Nec ueterum ratio morum mutata sileri  
Pulchrior & sub te principe facta, potest.  
Fecisti, solers neglecti cultor ut horti,  
Omnia qui cultu comodiore facit.  
Mitigat agrestes meliori palmitum truncos,  
Plantarum mutans insitione genus.

Barbaries

Barbaries uetus illa tuis præcul exulat oris,  
Ad consanguineos estq; reuersa Getas,  
Bella prius tantum, cæsim punctimq; ferire,  
Vincere, terga sequi, Sarmata doctus erat:  
Nunc bene nouit & hæc, & nouit cætera, uitæ  
Quæ quis in urbanæ partibus esse putat,  
Tot loquitur linguis, tot magnas excolit artes,  
Siue illæ poscunt pectora, siue manum.  
Qui sub patre tuo uixere & fratribus, istam  
Ad uitam clausa si reuocetur humo,  
Noscere uix possent natos: sic corporis ipsos  
Penè habitus etiam tempora nostra nouant,  
Sub scapulas illi tortos habuere capillos:  
Maior inumbrabat quem coma, pulcher erat,  
Pulcher erat longis cui cornibus armabantur  
Falcati (res o prodigiosa) pedes.  
Hæc perire: manent, quæ tempus in omne manere  
Ut possint, summum turba rogare deum.  
Iura manent, leges florent, decreta parentum  
In ueteri regnant intemerata loco,  
Regnant, teq; diu cupiunt sibi uiuere, per quem  
Despiciunt uitæ cuncta pericla suæ,  
Per quem creuerunt, & in omnia regna, Poloni  
Imperij, ramos explicuere suos,  
In Prussos, Russos, in te Mazouia, terras  
In lituane tuas, in Samagitta tuas,  
Tot tibi nanq; colunt populi spacia ultima cœli  
Argentis, uarijs moribus atq; sonis.

B ij Et tñ

Et tamen, his illisque simul siciura ministras,  
Carpat ut officium nulla querela tuum.  
Quæ uagus in nemora euasi : quos auisus erro  
Per saltus ? rectum quis mihi monstrat iter ?  
Nemo hominum : superi succurite : quæro cupitum  
Ingentis finem fessus habere uia.  
Abnuitis ? quid id est ? uestras ego scilicet aras,  
Hic si finis erat, præteriturus eram.  
Quas solido dedit argento, uestrisque sacrauit  
Numinibus, regum gloria, uester amor.  
Impensæ maioris opus, quam credere possit  
Qui non signa oculis uiderit illa suis.  
E ligno certe uili sic alta dolari,  
Aut saltem e cæra fingere, sumptus erat.  
Hoc unum qui cernis opus, tecum illius author  
In reliquis quanta sit pietate puta :  
Qui sic argento ædificat, fuluoque metallo,  
Quot credis struxit saxea templa deo ?  
In quam multa tulit sacros delubra paratus ?  
Sacrorum famulis munera quanta dedit ?  
Quos statuit reditus ? quo uiuere iure quietos  
Iussit ? quam uario protegit inque metu ?  
Perge, pater patriæ : pietatis magna tulisti  
Præmia, sed restant uberiora tibi,  
Credere mihi, restant : uitam fauere per omnem  
Quæ tibi, non peius nunc tibi fata fauent.  
Quodque, prius quam natus eras, te numen amauit,  
Quid faciet merito iure dabitque seni ?  
Nanque

Nanq̄ prius q̄ natus eras te numen amauit,  
De tanto nasci sanguine quando dedit.  
Rex pater est, & aui reges, longissimus ordo  
Magnorum, per quos styrps tua ducta, ducum.  
Sed fuerint parua hæc, tibi quæ uidisse negatum est,  
Quanta datum est iuueni cernere, quanta seni ?  
Fratrem Pannonijs & eundem iura Bœemis  
Reddere uidisti consociata tuum,  
Et tenuisse duos, ætatis iure priores,  
Germanos quæ nunc sceptrâ paterna tenes,  
Fratrem Romano tectum rubuisse galero,  
Inq̄ Dei geminos ius habuisse greges.  
Hos gratare tibi fratres : gratare sed illum  
Amplius, in diuos quæ sua Vilna refert,  
Ad cineres cuius uoti damnata rependit  
Saluifico grates plurima turba Deo.  
Sicut ad occidua sacra limina Compostelle,  
Sicut apud tumulos indy te Tybri tuos.  
Nam quid ego numerem dignas te fratre sorores,  
Quæ tibi Teutonicos tot peperere duces ?  
Quid generum regem ? regemq̄ ex fratre nepotem  
Turcica quem sanctæ bella dedere neci ?  
Quid reliquam generis sobolem quæ si quis ab illa  
Hoc quærat, ramos nesciat ipsa suos ?  
Fusa, uelut patula de quercu funditur ingens  
Progenies, frondem pullulat inq̄ nouam.  
Stant circum matrem prognatæ glande sorores  
Turbaq̄ cognatum densat utrinq̄ nemus.

B iij Frustra

Frustra illam tentet syluam numerare colonus,  
Otia cum festus donat amica dies.  
Frustra & ego tentem syluam numerare tuorum :  
Cætera fortunæ prosequar ergo tuę.  
Vidisti, quos iam perstrinximus ante, triumphos,  
Et patriæ insolitas floridioris opes.  
Imperium multis moderaris sospes ab annis,  
Quod diuturnus adhuc ut moderere precor.  
Vidisti natum, quod rex nemo ante Polonus,  
In titulos ungi constituiq; tuos,  
Et cuncti iussu populi, cunctiq; Senatus,  
Delata in teneram sumere scepra manum,  
Ex illo genitos, Princeps inuicte, nepotes  
Ut uideas, restat quod tibi, fata dabunt :  
Idq; parant hodie, cum magno fertur ab Istro  
Ad te, fulgidior sydere uirgo, nurus,  
Augusto coniunx : Reges paritura Polonis,  
In quibus ingentes conspiciantur auī.  
Ergo beate senex, Rex foelicissime regum  
Quos hodie uasti circulus orbis habet.  
Nunc cape longæuæ solatia summa senectæ,  
Hunc animi rugas nunc age solue tui.  
Gaudia congemina : quorum tibi iustior istis  
Iam uix in terris caussa uenire potest.  
In cœlis ueniet posthac : sed ut illa precamur  
Sera sit, & nostrum te sinat esse diu.

A D SIGISMVN=
DVM SECVNDVM AVGV-
STVM POLONORVM
REGEM.



Rena citis properentur equis Auguste;
propinquat

Romani Regis filia, sponsa tibi.

Obuius exhibis : sic excipienda puella est.

Sola tui partem digna tenere thori.

Digna loquor sola hec, & quod de sanguine tato est,

De quanto coniunx debuit esse tibi.

Et quod ea facie est, quam paucae forsitan aequent

Reginae, certe uincere nulla queat.

Nec narrata loquor : uidi, uidi ipse, Viennae

Tempore quo pauper diuitis hospes eram.

Ibat in antiquam Stephani spectabilis aedem

Maternos uirgo, quod solet, ante pedes.

Lumina sydereis equans rutilantia flammis,

Purpureo roseas tincta pudore genas.

Progrediens ad templa patris, uirguncula donec

Casta fuit, Laetae filia talis erat.

Singula nam quid ego pingam ? mox ipse uidebis

Singula, & ipse rei tu tibi testis eris.

O foelix uirgo facie, foelixq; marito

O sortita parem stirpe, decore parem.

Non bene

Non bene conferri pulcher cui posset Adōnis,  
Non Nireus Phthij cura dolorq; ducis.  
Non Phriyx ille puer, patria quem falsus ab Ida  
In coelum rapuit, præpetis ungue, Iouis.  
Sic tibi laudari sat habes hac luce maritum,  
Quamuis & semper laus habet ista locum.  
Ut pulchrū est regem uirtutibus esse priorem,  
Corpore sic alios exuperare decet.  
Certe id in Atrida sapiens laudauit Homerus,  
Non Maro in Ascanio præterijtq; suo.  
Cum geminæ starent acies ad Pergama, proq;  
Coniuge proriprent se duo ad arma uiri,  
Spectator Priamus populorū Agamenona cernit  
In turba, ad Graiam sic loquiturq; nurū.  
Dic mihi, quis uir hic est, mea filia, cuius imago  
Conferri superis totaq; forma potest?  
Esse puto regem : non illo scilicet alter  
Est oculis uisus pulchrior ante meis.  
Quid Maro? forma alios añ omnes pulcher Iulus,  
Filius & certe regis Iulus erat.  
Quando igitur species non est laus infima regum :  
Infima laus non est illa secunde tibi.  
Sint in te quamuis aliæ, quas pono supremo  
Iure gradu, at non sunt temporis huius opus.  
Temporis eius opus fuerint, cum nostra triumphos,  
Quos uicto duces hoste, Thaleia canet.  
Nam duces : specimen tantæ puerile dedisti,  
Progressus Chocimi rura sub usq; rei,  
Speq;

Speꝝ tuam implesti patriam, terroribus hostem :  
Tale rudimentum par erat esse tuum.  
Lesconem puerum tunc es uirtute secutus,  
Albæ cognomen cui posuere comæ,  
Illum, militiæ cupidum, tutela senatus.  
Armati dum uult tutius esse domi,  
Cur, ait, o proceres sine me properatis in hostem ?  
An quia nondum ætas creuit ad arma mihi ?  
Non hastam tenero possum torquere lacerto,  
Non facere imbelli uulnera uimqꝫ manu ?  
Sed neqꝫ picta hostem uexilla aquilæqꝫ trucidant,  
Et tamen inter uos h̄s datis esse locum.  
O generose puer, mira puer indole, nomen  
Pœnorum summi dignus habere ducis,  
Qui, pater Hesperium dum fulminat ante Saguntū,  
Sub patris imperio tyro nouennis erat.  
Hunc Auguste æquas animo, successibus olim  
Vinces : adstabunt fata paterna tibi.  
Cuius nomen habes, illius cætera habebis,  
Hæres in cunctis dotibus eius eris,  
Eius eris morum, uirtutum, pectoris, eius  
Exemplum ante oculos si tibi semper erit.  
Cærea Romanis patrum simulachra suorum,  
Proposita, in clara luce, fuere domi :  
Vitro includebat curata cadauera, ad omnem  
Ætatem, Pharij posthuma turba patris,  
Sic ut imaginibus contemplantur in illis  
Assidue uitæ facta uiamqꝫ suæ.

C

Indecq; sancta leui traherent precepta iuuentē,  
Disceret authores quisq; referre suos.  
Iis tibi nil opus est cæris, uitreoue parente,  
Viuum quem referas, quemq; sequaris, habes.  
Aut etiam uincas, si uinci tantus ab ullo,  
Quantum æquare foret laus nimis ampla potest  
A te si poterit, non indignabitur: equo  
Tantam animo patrius rem patietur amor,  
Maxima dum iactas Macedo tua gesta Philippes,  
Vitima sermonis vox erat ista tui:  
Non potero factis uinci: si vincar, ab vno  
Vincar Alexandro, quod tamen opto, meo.  
Nimirum norat sapiens rex ille, creati  
Maiorem magno posse parente virum.  
Nec sua spes illum lusit: nam tota Philippi  
Græcia, Alexandri totus Eous erat.  
Et te quis sperare vetat maiora paterna  
Laude: Deus quod ad hanc addere possit habet,  
Tu modo iusticiam colito: dos vnica regum  
Est ea, nec summo gratior vlla deo,  
Sacrorum tibi sit nil cura antiquius: illa  
Summa tuis in auis, in patre summa fuit.  
Iudicij teneas recti moderamen: apud te  
Sint sua uirtuti præmia, poena malis,  
Sit nullo tibi turba loco, quæ perdere tantum  
Nata merum est: Veneris gloria: uentris amor.  
Omnis adulator, scurre, sua forq; malorum,  
Occursum trepidet defugiatq; tuum.

Sunt alij, totum per quos cum laude fauorem  
 Diffundas, digni per tua regna uiri.  
 Sunt & quos patriæ titulis & honoribus ornes,  
 Consilijq; loces per loca summa tui.  
 Aspice Podolici custodes limitis : illum  
 Infestum Scythico iugiter hoste locum,  
 Inuenies illhic aliquem, qui iure uoluptas  
 Dimidiumq; animæ debeat esse tuæ.  
 Qui uitam duris omnem transmisit in armis,  
 A patre non blando missus in arma puer.  
 Non intra plumas iuueniles perdidit annos,  
 Non intra molles, serica dona, thoros.  
 Cui somni faciles in gramine, terra cubile  
 Attalicum, lectus penula, semper erat.  
 Balnea, deiecti ruptis e nubibus hymbres :  
 Sicca Ceres, epulæ : fluminis unda, merum,  
 Cantores, litui atq; tubæ : glomerare choreas,  
 Hostibus horrificas conglomere manus.  
 Cui spoliū prædeq; placent ex hoste petitiæ,  
 Non e uicino pauperiore domi.  
 Viuere qui didicit paruo, mediocribus uti,  
 Purus auaricia luxurieq; bonis.  
 Talibus insenuit qui moribus, inter agendum,  
 Si mandentur ei, publica, qualis erit?  
 Non bello paci q; bonus & non protinus unum  
 Hunc in utroq; ducem semper habere potes :  
 Quis melius, bellum qua sit ratione gerendum,  
 Consilium, q; qui gessit & ipse, dabit?

c ij

Ducere quis melius, quis castra locare docebit?  
Quo pugnam arripias tempore, quoue loco?  
Exemplis in cuncta suis momenta feretur,  
Nesciat historicos ut bene Graie tuos,  
Non dicet, sic hoc aut illud fecit Vlisses,  
Sed, feci toties hoc ita, dicet, ego.  
Iam pacis quis erit sanctæ uir amantior illo,  
Qui belli uarias comperit esse uices,  
Et dubios casus: idem monstrabit honesta  
Qua pax confieri conditione potest,  
Quoue fouenda modo quo sit retinenda uidebit,  
Aut qua, si sit opus, reijcienda uia.  
Tempore pacato meditari bella iubebit,  
Atq; in laudatis otia rebus aget.  
Tunc exerceri pubem, tunc ludere in armis,  
Edere pugnarum tunc simulachra, uolet.  
Educet turmas, faciet concurrere structis  
Ordinibus, ludent, hinc eques, inde pedes.  
Antiquum referet morem lacedæmonis, & quem  
Seruabat pacis tempore Roma domi.  
Tractabunt hastas iuuenes, non pocula: discant  
Casside, non molli cingere flore comam.  
Institui quis enim sub tanti uoce magistri  
Nolet, honoratum quem sua uita facit?  
Qui propria uirtute alijs uirtutis amorem  
Incendit, factis extimulatq; suis.  
Sed neq; Podolico tantum querendus in agro  
( Plura laet uirtus per loca ) talis erit.

Rura colunt tales multi, uenerantur aratrum,  
Et misera uiuunt ambitione procul :  
Illius similes, quem sumere magna secures  
Roma suas fessos compulit ante boues.  
Quære modo, inuenies : oculos aduerte, uidebis :  
Certe oculis reges acribus esse decet.  
Quæritos, simulac inueneris, adde tuorum  
Ad numerum, inq̃ tuo limine semper habe.  
Sic tibi florebit regnum, sic gloria surget,  
Sic referes magnos uel superabis auos.  
Sic te non tantum præsens mirabitur æuum,  
Lux quoq̃ longa tuæ posteritatis eris.  
Sed tu quando geres titulo signanda perenni,  
Dignaq̃ quæ nuncq̃ deleat ulla dies,  
Sit doctos tibi cura uiros adamare : Iagello  
Illorum uester magnus amator erat.  
Fama per hos rerum crescet uiuetq̃ tuarum,  
Immortale per hos nomen habere potes.  
Quicquid ages, scribingent : totum se fundent in orbem  
Laus tua, in æternam non moritura diem.  
Quanta putas Lachus, nostræ dux gentis & author,  
Militiæ quondam gesserat atq̃ domi ?  
Quanta pater Cracus ? magna arbitror : & tñ illa  
Omnia sub tenebris nonne sepulta iacent ?  
Cur quesō ? quia sunt nullis celebrata libellis :  
Tunc, puto, qui posset scribere nemo fuit.  
At ueteres Grañ uiuunt, cantatur Achilles,  
Viuent, ad Troiam qui cecidere, duces.

Romani reges, Medi, Persæq; legentur;  
 Incolumis mundi machina donec erit.  
 Q; bene Amyntiades igitur, dum concutit orbem,  
 Proterit atq; armis obuia regna suis,  
 Dicitur historicos secum duxisse poetas  
 Mandarent chartis qui sua gesta suis.  
 Hec quoq;, Scipiaden cur sit per magna secutus  
 Ennius inuictum prælia, caussa fuit.  
 Quid de Mathia dicam ( si forte requiris  
 Et noua ) defletæ principe Pannoniæ?  
 Quidue Sigismundo de Cæsare? cuius id unum  
 In uita, uulgo iudice, crimen erat,  
 Quod tanto doctos complectebatur amore,  
 Quanto sollicitus pignora chara pater.  
 Hos in præcipuis semper numerauit amicis,  
 Hos lateri uoluit semper adesse suo.  
 Clamabant proceres : turpe est tibi maxime Cæsar  
 Tantopere addictum talibus esse uiris,  
 Quales parua domus gignit plerumq;, parensq;  
 Lactat in obscuro non opulenta loco.  
 Cæsar ad hæc : Quos ingenio natura Deusq;  
 Præposuit uobis præposuitq; mihi,  
 Hos ego præpono cunctis : uirtutibus illos  
 Æstimo : natalem quid mihi scire locum?  
 O dignam uocem Romano principe, dignam  
 Cæsare, dignam auix progenitore tuæ,  
 Hæc tibi succurret quoties Auguste, reuoluas  
 Mente, fuit cuius uox ea, uir quis erat.


Nempe Sigismūsus : Rex : Augustusq̃ : tua hęc sūt  
 Nomina : cuius habes nomina, facta refer.  
 Pierijs hoc esto uiris, fuit ille quod olim,  
 Illum quod decuit, nec tibi turpe puta.  
 Sic tibi coniugium Deus & pia fata secudent,  
 Læta bonum thalamo concinat omē auis.  
 Sic tibi nascatur, qui te pulchro exprimat ore,  
 Te simul & magnum nomine reddat auum.  
 Quem uideas, quod te genitor uiditq̃ uidetq̃,  
 Possit & ut multos quæso uidere dies,  
 Rex regem, sceptrum gestans tua sceptrā gerentem,  
 Consortem imperij participemq̃ tui.  
 Dij nostras audite preces : pro principe supplex  
 Hoc uos tota regat terra Polona suo.  
 Munificos, faciles, hilari bonitate, benignos,  
 In populū hac sacra uos decet esse die.

Errata aliquot sic emendabis.

*In Epistola. pro precepturum, lege percepturum. In elegia prima, folio primo  
 facie secunda, lege. Hęc dabat illa sibi, quam dono acceperat, hoc dat.*



WHERVORIN



Cracouie excusum  
apud Viduam Flo-  
riani. An. 1543.

